

www.e-rara.ch

Dissertationum theologicarum quinta

Disli, Johann Heinrich

Bernae, 1713

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Ba 120 (13)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99869>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISSERTATIONUM - THEOLOGICARUM.

QUINTA,

De

SPIRITUS SANCTI

Illuminatione Necessaria ad salutarem
Sacrae Scripturae intelligentiam.

Quam, δονησάσας ἐρέξεν,

Pro consequendo sanæ doctrinae Ministerio

Divinâ suffulti Gratiâ

PRÆSIDE

DN. ELISÆO MALACRIDA,

V.D.M.SS. Theologiæ in Illustriissimo Ber-

natum Lycæo Profess. Publ. Mæcenate ac fau-
tore plurimum suspiciundo

Pro ingenij viribus publicè defendere conabuntur.

JOH. HEINRICUS DISLI, } Helv. Castroyillanus,

EMANUEL MELEY, } Helv. Bernas,

SS. Theol. Stud.

Ad diem 2 Februarij 1713. horâ locoquè solitis.



B E R N Æ,

Ex Officina Typ. Illust. Reipubl. Bernensis. MDCCXIII.



DEO, ECCLESIAE,
FAUTORIBUS

Atque

AMICIS.

Hocce exercitium D. D. D.

Respondentes:



DISSERTATIONUM- THEOLOGICARUM,

QUINTA.

De

SPIRITUS SANCTI

*Illuminatione Necessaria ad salutarem Sacrae Scri-
pturae intelligentiam.*

§. I.



Rationis in Theologia usus, erro-
resquæ Remonstrantium, Ratio-
nem Scripturæ interpretandæ cla-
vem constituentium, præcedens
nobis Dissertatio aperuit; Nunc
quid de Spiritûs Sancti illumina-
tione in Scriptura salutariter intel-
ligenda fidequæ salvificâ amplectenda judican-
dum sit, dispiciendum paucis est. De Rationis
Hyperaspistis colligere proclive est, quod veluti
Rationem Scripturæ interpretem constituunt, ita

in eadem ritè & salutariter intelligenda primas eidem dent , contrà verò Spiritûs Sancti internè hominem illuminantis nullum esse usum credant. In qua rursûs opinione observantur Remonstrantes Socini gregem *κατὰ πρόδα* sequentes; etenim Limburgius Lib. 1. cap. 6. §. 1. *In Scriptura* , docet , omnia , *qua omnibus ac singulis* , creditu , speratu ac factu ad salutem sunt necessaria , adeò perspicuè ac clarè contineri , ut à quovis sanâ ratione prædito & mentis sua compote , modò sibi ipsi propriâ suâ culpâ impedimento non sit , sufficienter & plenè intelligi possint. §. 2. addit , Res Scripturæ ad salutem necessarias adeò faciles esse & perspicuas , ut ab omnibus , indoctis pariter ac doctis , *quantum ad salutem satis est* , intelligi queant ; hinc §. 20. & 21. Contraremonstrantes seu Reformatos , specialem Spiritûs Sancti Illuminationem ad salutarem Scripturæ intelligentiam requirentes , acriter pungit , absurditatis criminatur , melioresquè Pontificijs ad infallibilem Pappæ interpretationem in Scriptura rectè intelligenda recurrentibus haud agnoscit.

§. 11.

At nihil mirum , sapientior Præceptore noluit esse discipulus. Ita namquè Episcopus Instit. Theolog. Lib. 4. cap. 16. sub initium differit : *Sensus isti necessarij istiusmodi Verbis ac Phrasibus seu proprijs seu figuratis sunt expressi* , ut ad earum significationem propriam ac genuinam rectè percipiendam nullò aliò aut externò aut NB. internò lumine opus sit , quàm vel naturalè , vel saltem à gratia illa , *qua universalis & com-*
mun-

munis omnibus esse dicitur, adjuto, id est, soló rationis recta dictamine, sive Gratia Universalis beneficio. Ex quo consequitur, Rationem rectam non modò non esse exauctorandam, quando de propria ac genuina Verborum Phrasiúmquè Sacra Scriptura mente ac sententia assequenda quaritur, sed eam primò ac per se esse necessariam, quin & per se sufficere, adeoquè eam unam ac solam aptissimum esse medium ad rectam Verborum Phrasiúmquè Sacra Scriptura, quibus necessaria significantur, intelligentiam consequendam. Similia idem Lectori propinat Disp. III. De Sacra Scripturæ perspicuitate Th. 3. ubi, ad hanc, inquit, intelligentiam consequendam, aliud necessarium non est, quàm vis apprehendendi & percipiendi sensum illorum verborum, qua clarè & significanter proponuntur, qua vis naturalis est, & omnibus ratione pradiis communis in omni statu. Unde nec quasita multò tempore eruditio, nec operosa & elaborata consequentia, nec aliud ullum supernaturale lumen potentia superinfusum, eamquè elevans ad hanc intelligentiam eliciendam, necessariò requiritur. Affectus etiam intercurrentes, qui vim intelligendi obnubilare & opprimere quandoquè videntur, non ipsam intelligendi potentiam, sed voluntatem vel intelligendi actum impedire dicendi sunt.

§. III.

Hæc est constans & invariabilis Remonstrantium doctrina, ut ex eorum Confessione cap. 1. §. 14. luculentum est; ubi, librorum, inquit, sacrorum, licet alicubi (præsertim indoctis & minùs exercitatis,) satis obscuri sint, tanta est claritas & per-

spicuitas in sensibus imprimis ad aternam salutem intellectu necessarijs, ut omnes lectores, non docti tantum, sed & idiora (communi quidem sensu ac iudicio præditi) quantum satis est mentem eorum adsequi possint, modò præjudiciò, vanâ confidentiâ, alijsquè pravis affectibus sese occacari non sinant, sed Scripturam hanc piè & sedulò scrutentur &c. quibus in verbis Spiritus Sancti mentio nulla fit; ut adeò mirum videri possit, quâ fronte clarissimis Remonstrantium confessionis Censoribus Leydensibus, Socinianismum in Sectione ista olfacientibus, obstrepere, eosquè ridere ausus fuerit Episcopus, cùm eadem prorsus, hac in doctrina, ejus & gregalium mens cum Socinianis sit constanter docentibus, omnes illos graviter & periculosè errare, qui putant, Sacram Scripturam sine precedente interna illuminatione & speciali revelatione Spiritus Sancti nullò modo fidem & obedientiam in hominibus efficere posse: quæ Verba sunt Ostorodi Inst. cap. 1. in eodem capite post quasdam paginas subnectentis; satis esse ut Scriptura, quia non ab hominibus excogitata, sed à Deo originem suam habet, fidem & obedientiam in hominibus operetur. Anne his saniora docent Remonstrantes?

§. IV.

At, inquit, Episcopus in Disputatione suprà allegata, quis tandem est sensus iste spiritualis? An est sensus, qui in sensu isto Grammatico continetur, sed unâ cum Grammatico percipi non potest; an sensus, qui à Spiritu Sancto menti hominis superfunditur, postquàm is Grammaticum sensum adsecutus est, aut ut sensum Gram-

Grammaticum & literalem adsequatur ? Ita nostram doctrinam exhibilat hic Remonstrantium Antesignanus. At discutitur hæc ridendi materia, si ritè Controversiæ status figatur; nec enim quaritur de intelligenda qualicunque modò scriptura, sed de ea salutariter intelligenda & observanda, non de intellectione verborum Grammatica, literali & historica, sed de intellectione practica cum interna cordis afficiencia, de qua sapissimè David Psal. 119. cum *πληροφροσύνη συνείσεως*, Col. 2: 2. cum assensu salutari & verâ fide conjuncta; priorem tribuimus quibusvis Scripturam attentè legentibus & meditantibus, posteriorem solis omninò electis & fidelibus; priorem statuimus requirere Rationem regularumque usum hermeneuticarum, posteriorem autem Spiritum Sanctum fidei auctorem. Sed ita cæspitare solent, qui propriam *ἀδυναμίαν* corruptionemque naturam non agnoscunt, ècontra Rationem viresque liberi arbitrij ad illud usquè fastigium extollunt, ut præter Revelationem externam oculos solùm & aures ferientem nihil admittant, & sic se ipsos salutis æternæ fabros, non Deum gratiosum in Christo Auctorem constituent.

§. V.

Docemus quidem nos, non duplicem Scripturæ sensum inesse, sed unicum omninò, eumquè literalem, seu quem litera docet; at hunc certè sensum aliâ & aliâ ratione ab hoc vel illo percipi; literalem instruere cunctos homines, Deum esse unum, æternum, immensum, omnipotentem, omniscium, Jesum esse Messiam in Vet. Testam. pro-

promissum, eum Filium Dei esse & Mariæ, pro peccatis nostris mortuum, fide in illum nos justificari, sobriè, justè pièquè in hoc seculo vivendum esse, &c. Sed non omnes eum homines instruere ad salutem; non nisi σοζομένοις & per Christum redemptis eum esse ὁσμὴν ζωῆς εἰς ζωὴν, *odorem vita ad vitam*, 2. Cor. 2: 16. Verba, quæ Christus loquebatur, non erant πνεῦμα καὶ ζωὴ *Spiritus & Vita*, nisi fidelibus cum Petro ad Christum dicentibus; *ad quem abibimus?* πῶς μακάριος αἰώνος ἔχεις, *Verba vita aterna habes*. Joh. 6: 63. 68. quibusquè Christus, ut olim Petro, dicit, *Beatus es Simon Bar Jona, quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est*, Matth. 16: 17. Verba Christi aures corporis ferientia, à multis audita alijs fuerant, sicuti & ejus miracula ab omnibus visa, utpote in publico gesta; at quæ factum, quod paucissimis Jesus *ut Christus Filius Dei viventis*, innotuerit; quod paucissimis Verba ejus fuerint *Spiritus & vita*, quodquè paucissimi fiduciam in eo suam collocaverint? anne dicendum, quod in cæteris fuerit non rectæ rationis usus, sed tantum σὰρξ καὶ αἷμα? Verum anne credibile est, Apostolis, illiteratis & rudibus, publicanis & piscatoribus, hominibus adeò è populi sæce, citra interiorum Spiritûs Sancti vim minùs fuisse carnis & sanguinis, minùs carnalium affectuum & præjudiciorum, contrà plus rationis, claræquè & distinctæ perceptionis, quàm in Scribis Legisquè Doctoribus, Christum ejusquè opera calumniosè traducantibus? quis sanæ mentis homo id affirmaverit?

§. VI.

Vel an novum est, unum eundemquè sensum literalem verborum hominum, librorum, epistolarum à diversis diversimodè capi, non quoad materiam quidem, attamen quoad modum & finem? Jacobus olim Patriarcha, an non aliò inaudivit animò Josephum Filium suum vivere, quàm cum primà vice percepisset, esse quendam in Ægypto Dominum, qui ejus quoquè filium natu minimum videre gestiat? Vel si hoc videatur exemplum ἀπεγοδιώτως, an non alià quis mente rem ad se pertinentem, quàm alienam intuetur, illam cum animi quadam comotione, hanc verò mente planè indifferente? Josephus fratrem Benjaminum aspiciens, an simili, quò erga peregrinos, affectu laborabat, quando lachrymabundus in ejus collum ruit, sicuti & Benjamin flens ruit in illud Josephi? Gen. 45: 14. Vel an non Sol sub alio & alio aspectu diversimodè percipitur, vel ùt illuminans tantùm, ùt in occasu & hyeme, vel ùt illuminans pariter ac calefaciens, omniaquè radijs suis lætificans & fructificans, ùt in æstate? an non Dogmata pariter Divina in Scriptura revelata, & ab omnibus omninò Christianis affirmata atquè adversùs infideles propugnata, à diversis tamen aliò & aliò affectu, alià & alià modificatione audiuntur & intelliguntur, ab alijs quidem theoreticè tantùm, historicè & criticè, ab alijs verò practicè, cum assensu fidei, charitatis & spei? vel an palpabile discrimen istud experientia quotidiana non corroborat? At unde differentia tanta? an à diverso tantùm Rationis usu, nec

ab ullo alio principio interveniente? At si hoc, quod fit quod sapientissimi hujus seculi à Regno Cœlorum remotissimi sint, contra verò *infantes & pauperes Spiritu* omnium proximi? Matth. 5: 3. & cap. 11: 25. 1. Cor. 1: 26. 27. quod factum quod Judæi oculos habentes non viderint, & auribus instructi non audiverint? Contra mendici, manci, claudi, cæcique viderint, accesserint, apprehenderint & anxie petierint Jesum ut Mundi Redemptorem Luc. 14: 21. An hi præjudicijs vacui & rationis rectæ compotes fuerunt, non illi? An his non æquè ratio fuit carni immersa, præconceptisque opinionibus imbuta ac illis?

§. VII.

At posito, Rationem in *abstracto* consideratam, eam, quam Remonstrantes fingunt, vim habere, an sequitur eandem habere Rationem consideratam in *Concreto*, in hominibus nim. per peccatum è luce in spissas ejectis tenebras, atque salutis Mysteria etsi resecta modò Deo rebusque cœlestibus dignò comprehendere non valentibus? Sed nec vi eâ gaudet Ratio in *Abstracto* spectata, quod Limburgius & *ouo-*
φωσι haud ægrè concedunt, dicentes, Salutis Mysteria, de mittendo nim. à Patre Filio, de ratione homines salvandi per Christum, de ultimo Christi ad Judicium adventu &c. Rationi etiam perspicacissimæ impervia fuisse, hinc necessariò revelanda, clareque hominibus fuisse exponenda; at Mysteria amplius non esse semel perspicuè manifestata & promulgata, apponunt. Verùm non sufficere diximus superius, Mysteria audire revelata, clarè ea percipere,
eorum

eorum notitiâ illustrari hominis intellectum, poscitur quoquè illorum admiratio, amor, desiderium, fiducia, voluptas ; sed bona, inquis, eximia in Myste-rijs patefacta suâ se virtute in hominis animum infi-nuant, & suâ illum suavitate in assensum rapiunt, ut superiori quâdam vi opus non sit. Sed Ratio ta-lis, vel in Adami statu Innocentiæ, an non in fatali-bus quibusdam circumstantijs versari potest, quibus ni supremô quôdam igne accendatur & omnipoten-ter dirigatur, tota obnubiletur, suisq; claris ideis pri-vetur? Verùm de Ratione in *abstracto* hîc loquendi locus non est, ne cum umbra certare videamur, quæ-ritur namquè de Ratione in *Concreto*, seu de ea, quâ nunc homines per peccatum depravati fruuntur. Hanc pronuntiamus non tantùm ante Revelatio-nem, sed nequè post eam Dei capere Mystera, quæ tamesi clarè patefacta, sunt tamen ei *inveia stultitia*, veluti Gentilium sapientibus nullô aliô quàm *Ratio-nis* principiô gaudentibus. De hac in genere effa-tur Apostolus; *Homo ψυχικός non capit ea quæ sunt Spiritûs Dei.* 1. Cor. 2:14. Sunt namquè superioris Hæmisphærij, ut alicubi loquitur Lutherus.

§. VIII.

Sed, inquit Limburgius, homo ψυχικός est ho-mo animalis & pravis affectibus abreptus, & ut ejus me verbis enuntiem, *vita hujus animalis voluptatibus totus immersus*, non homo naturalis & Ratione suâ utens; quid audio? an non quivis homo à Spiritu San-cto non regeneritus, talis est, ψυχικός nim: πνεῦμα μὴ ἔχων Jud. v. 19. πνεῦμα intellige ἅγιον, ut in sequenti sese ver-

su explicat Apostolus? vel an ψυχικός non opponitur
 à Paulo τῷ πνευματικῷ, *Spirituali*? at quis est hic πνευ-
 ματικός, an homo affectibus carens, & proprijs viri-
 bus ratione rectâ utens? annon potius ille, *qui ac-*
cepit Spiritum qui est ex Deo, de quo Apostolus in
 1. 12. Hic verò Spiritus est, *qui omnia scrutatur, etiam*
profunditates Dei 1. 10. per quem Deus Mysteria re-
 velavit, & cujus potentiâ πνευματικῆς πνευματικὰ δια-
 κρίνεται 1. 13. ψυχικός igitur est, *qui humana tantum ras-*
tionis luce ducitur, ut vocem explicat in hunc locum
 Grotius; imò σαρκικός, qui non tantum nudam natura-
 liter animam Spiritu Sancto, destitutam habet, & ab ea,
 non à Spiritu Sancto, regitur, sed & carni & corruptio-
 ni suæ obsequitur, tanquam cupiditatis suæ manci-
 pium & à Spiritu Sancto non regeneritus, qualis est non
 rudis duntaxat, nihil nisi carnem habens, sed & Phi-
 losophi & primi ordinis Sapientes, quales olim fue-
 runt Græci, sanè scortatores, puerorum corruptores,
 gloriæ aucupes, maledici, invidi; ut adeò non su-
 pra tantum, sed & contra Rationem hominis corrup-
 ti & irregeneriti sint Dei Mysteria; hujus quippe ani-
 mus ad contemplandas res sublimiores se habet ut
 oculi nocturnarum ad lucem meridianam, non solum
 lucem non percipientium, sed fugientium & abhor-
 rentium; hinc φρόνημα τῆς σαρκός, *Cogitatio carnis*,
 vel hominis carnalis, dicitur, ἐχθρὰ εἰς Θεόν, *inimicitia*
adversus Deum, legi enim Dei non subijcitur, nec etiam
 potest. Rom. 8: 7. *Caro concupiscit adversus Spiritum*
 Gal. 5: 17. hinc ubi in Scripturam talis involat Ratio,
 sensum ejus pervertit, diminuit, negat, sive jam de
 quâdam doctrina cœlesti, sive de præcepto aliquo
 divi-

divino agatur, ad Rationis suæ, id est, affectuum amuſſim modò Deo prorsùs indignò minimequè conveniente omnia torquens & ad hypotheses suas inflectens; quod in Socino ejusquè admiratoribus omnibus luculentum est, de Deo ejusque attributis & operibus ad modum loquentibus hominum, nihilquè quod simpliciter divinum, id est, summè & absolutè perfectum sit, admittentibus, contrà homini, quod Adamo vel integro, vel per peccatum saltem non corrupto convenerat, tribuentibus, atquè adeò ex Deo hominem, ex homine verò Deum facientibus. Sed de his, veluti & de loco 1. Cor. 2:14. plus satis in dissertatione præcedente.

§. IX.

Ad nostram verò sententiam paucis adstruendam, quædam breviter loca adferemus ex Scriptura, subjecturi deinde promissiones ea de re factas tùm in Vet. tùm in Novo Test. item Sanctorum Exempla, deniq; preces eorundem Illuminationem Spiritûs Sancti dilucidè & invictè probantes: Ad Scripturæ Testimonia referimus Esa. 53: 1. *quis credidit prædicationi nostræ וְיִיחַד בְּרַחְמִי יְהוָה, cui reſectum est?* Ubi distinguitur robur brachij Domini à prædicatione Verbi ejus, ostenditurquè absquè brachij divina virtute Verbo salutariter credere neminem posse. Joh. 6: 44. *ἐδείς, inquit Christus, δύναται εἰλθεῖν πρὸς με εἰὰν μὴ ὁ πατήρ ὁ πέμψας με, ἐλεύσῃ αὐτόν: nemo potest venire ad me, nisi pater me mittens traxerit eum:* quæ sanè verba, nisi vim, quam Deus per Spiritûs internam operationem efficaciter exerit, significent,

cent, sensum vel nullum vel saltem adeò minutum habent, ut Filiò Dei, Doctore cœlesti, indigna sint
 1. Cor. 2:4. *Sermo meus*, ait Paulus, & *præconium meum* ἐν περὶ τοῖς ἀνθρώποις σοφίας λόγοις, non in *suasorijs humana sapientia verbis*, ἀλλ' ἐν ἐκδηλώσει πνεύματος, ἢ δυνάμεως, sed in *demonstratione Spiritus & potentia*; ubi Spiritus contradistinguitur sapientiæ humanæ & suasorijs verbis, tribuiturquè ei δυνάμις potentia per ἐνδία δύσιν, cùm Spiritus internâ suâ operatione demonstrationem virtutemquè invincibilem effectu nunquàm carituram afferat; quod in Gentilium conversione luculentum fuit. Versu hujus cap. 15. ὁ πνευματικός dicitur πάντα διακρίνειν, *djudicare omnia*, nim. quoniam præter ψυχὴν, quâ homo animalis tantùm nominatur, habet quoquè πνεῦμα Spiritum Sanctum, intellectum intus illuminantem, voluntatemquè naturâ contumacem potenter trahentem. 1. Cor. 3:7. Deus ὁ ἀυξάνων, qui dat *incrementum* opponitur τῷ φυτεύοντι καὶ τῷ πότισοντι *plantanti & irriganti*, quoniam præter verbi materiam à præconibus illius promulgatam dat Deus per Spiritum intus operantem quoquè efficientiam. 1. Cor. 12:3. testatur Apostolus; *Neminem posse Jesum dicere Dominum nisi per Spiritum Sanctum*, ubi absurdissimò Limburgius *per Spiritum Sanctum* intelligit *Verbum*; sic namquè v. 4. Apostolus per Spiritum significasset alium quàm in v. 3. siquidem de Spiritu Sancto ceu donorum suorum Auctore dicitur, διαιρίσεις χαρισμάτων, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα; præterquàm quòd plurimi Gentilium veluti & Judæorum, Evangelij præconium audientes, Jesum tamen *Anathema* non

Dominum dixerunt, destituti nim. efficacîâ Spiritûs internâ, quâ in alijs superveniente *Jesus Dominus* creditus & receptus fuit. Hinc Evangelium nuncupatur *διακονία πνεύματος* ❧, *Ministerium Spiritûs*, qui ζωοποιεῖ oppositè *ad literam occidentem*, quæ Spiritum non comitem habet 2. Cor. 3:6. quæ quoquè ratio est, cur Spiritus appelletur πνεῦμα τῆς πίστεως ❧, *Spiritus fidei* ad indigitandam necessariam illam Spiritûs Sancti in corde hominis operationem, ut ad præconium Evangelij fiat fidelis 2. Cor. 4:13. Ab hoc ergò Spiritu derivanda est fides, de qua differit Paulus. Eph. 2:8. *Gratiâ servati estis per fidem* בְּחַסְדִּיךָ אֱלֹהִים וְעַל־פִּי אֱמֶנֶת ut habet Syrus, *id autem non ex vobis*, οὐκ ἐκ τοῦ ὧρον, Syr. מִדְּלִיכְךָ אֱלֹהִים מִדְּלִיכְךָ אֱלֹהִים *sed donum est Dei*, nempe per Spiritum Sanctum opus fidei producentem: Quocirca Phil. 2:13. dicitur Deus ἐνεργεῖν *operari in vobis* τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς ἐυδουρίας, & *velle & perficere pro beneplacito*, ubi opus divinum & operis causa impulsiva exprimitur, ut liberi hominis arbitrij ejusquè virium nullæ hîc partes sint. Hæc quoad Testimonia, plurium infrâ afferendorum dabitur occasio.

§. X.

Adstruitur nostra porrò doctrina ex utriusquæ fœderis promissionibus, ut quando Ezech. 36:27. & *dabo*, inquit Deus, *Cor vobis novum*, & *Spiritum vobis novum dabo* בְּקֶרֶבְכֶם *in medio vestri*, & *auferam cor lapideum* מִבְּשָׂרְכֶם *è carne vestra*, & *dabo vobis בָּשָׂר* Cor carneum. & Esa. 59:21. Hoc pactum meum cum eis est, dixit Jehova, *Spiritus meus, qui est super te*, & *verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent*

recedent ex ore tuo & ex ore Seminis tui, dixit Jehova ab hoc tempore & usquē in seculum. Juxta Remonstrantium hypothesein, id est, stante de indifferētia liberi arbitrij sententiā, nullus est istorum Dei verborum valor, nulla hujus promissionis implendæ certitudo. At quid ait apud Jeremiam Deus. cap. 31: 33. *indam legem meam בְּקֶרֶן in medio eorum וְעַל-לֵבָב & in corde eorum scribam eam*, quæ non duntaxat significant, Evangelium revelare mortalibus, ejusquē revelationem præconiō publicō cum insignium beneficiorum promissione annuntiare, ut præstare illi obsequium, vel renuntiare repudium sit auditoribus integrum, atquē sic datio illa legis vel inscriptio omni carere fructu possit: Nec Spiritus Dei, qui promittitur Israëlī, ejusquē verba notant verbum Dei tantū externum, cui proprijs viribus firmā adstipulari fide & iterū obluctari possit homo; Spiritus namquē promittitur non recessurus *ex ore hominis fidelis & ex ore seminis ejus ab hoc tempore usquē in seculum.*

§. XI.

Ast ad locum istum perspicuum Limburgius lib. III. cap. 16. §. 9. *Deus*, inquit, *illis verbis non promittit, se in Electorum cordibus obedientiam suorum mandatorum immediatē effecturum, sed tantis se populum beneficijs cumulaturum, ut eorum sensus legis divina amorem ipsorum cordibus inscripturus sit, non quod ipse immediatā actione inscriptionem hanc sit peracturus, sed quod magnitudine beneficiorum homines sit excitaturus, ut legem Dei accuratē scrutentur & studiosē*

diosè observent, atquè ita quòd Deus ab ipsis lege suâ exigit, promtè & alacriter præsent. Sed si interpretatio ista valeret, Deus promississe dicendus esset, suam se legem inscripturum & non inscripturum, & eam quidem inscripturum cordibus haud aliter ac inscripserat eam tabulis olim lapideis, quæ fuerunt deformatæ. Verùmenim verò datio hæc legis in Novo Testamento futura illi opponitur, quæ facta olim fuerat in monte Sinai, quæ proindè dationis illius naturam longè aliam eamquè talem exhibet, quâ lex illa, id est, doctrina fidei non esset turpiter negligenda, sed religiosè observanda & ad certum eventum perducenda. Quod jam necessariò supponit, legem indifferentiæ & volubilitati arbitrij humani relinquendam non fuisse, quâ juxta Remonstrantium opinionem fieri omninò potuisset ac posset etiamnum, ut universa hæcce benignitatis divinæ sollicitudo frustranea omniquè prorsus fructu destituta esset. Sed hæc est doctorum illorum suasio moralis, quam mandatis, promissis & comminationibus absolvi, atquè ad conversionem & salutem sufficere volunt, positâ nim. docilitate hominis naturali; quicquid de corruptione peccatoris invincibili, non accedente Spiritûs Sancti operatione omnipotente, atquè de ablatione cordis faxei, de datione novi cordis, de nova Creatione, Regeneratione & Vivificatione &c. plurimis in locis inculcet Scriptura.

§. XII.

Promissus fuit Spiritus Sanctus in Novo Test:
 à Christo ipso, ut Joh. 14: 16. 17. *Ego rogabo Patrem,
 & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in
 aeternum*; An verbum tantum, quod auresferit? sa-
 nè πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Spiritum veritatis*, quem
 mundus accipere nequit; at mundus potest audire
 verbum, & si velit, illud quoque admittere, ut vel-
 lent Adversarij, adde & v. 26. & Joh. 15: 26. *Paracle-*
tus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veri-
tatis, qui à Patre procedit, &c. Ille testabitur de me;
 porro cap. 16: 13. *cum venerit ille Spiritus veritatis*
ὁδηγήσει ὑμᾶς, ducet Vos in omnem veritatem; ubi de
 Spiritu evidentissimè loquitur Christus tanquam de
 ductore & doctore, qui distinguitur à materia, circa
 quam occupatur, quæ sunt res & dicta Christi; dein-
 de ab opere, quod est *testari* & *ducere* in veritatem
 omnem, Evangelicam nimirum, proinde non con-
 fundendam cum Spiritu doctore illius; deniquè ab
 objecto, in verbis Christi, ille docebit ὑμᾶς, Com-
 nesciet ὑμᾶς, ducet ὑμᾶς scil. vos Apostolos, & sub
 eorum nomine fideles omnes. At quâ id ratione Spi-
 ritus efficere debebat, annon in eorum immediatè
 mentem illabendo, & illis sese intimè insinuando,
 quò certa docerentur, tutòque ducerentur, ut
 volubile eorum arbitrium, ab Adversarijs in Cælum
 usque evehi solitum, eos inde avocare neutiquàm
 valeret? diligenter igitur distinguendus ab opere
 suo Spiritus est; veluti ab eodem Apostolo Johanne
 1. Epist. 2: 20. studiosè distinguitur, dicente; ὑμεῖς
 χεῖρ-

χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, unctionem habetis à sancto, & nōstis omnia; per χρίσμα quippe Spiritus Sanctus, quod uncti sunt fideles, ceu χαρισμάτων distributor & Auditor 1. Cor. 12:4. intelligitur, qui materiæ seu objecto cognitionis illorum, atquē adeò Evangelio, ceu unicæ fidei morumquē doctrinæ apertè contradistinguitur, quando dicuntur nosse πάντα. Sanctus verò, unde habetur χρίσμα illud, Christus est, ut ex v. 27. colligitur, iste namquē, prout obedientiæ suæ meritō redemptionem nobis & justitiam comparavit, ita & Spiritum, quem nobis ad nostri illuminationem & regenerationem mitteret, efficaciter meruit. Pariter distinguit Paulus Rom. 8:16. Ipse, inquit, ille Spiritus συμμετρεῖ unā testatur Spiritui nostro, quod simus Filij Dei, quod fit per Regenerationem; sed quā ratione hic Spiritus à verbo secernatur, docet nos Petrus 1. Epist. 1:23. dum ait, nos regenerari διὰ λόγου ζωῆς τοῦ Θεοῦ per verbum Dei viventis & manentis in sæculum; ut adeò verbum ceu instrumentum subordinetur Spiritui ut causæ efficienti principali, ad hominis παλ-γενεσίαν atquē adeò cum efficacia verbum in mentem introducenti.

§. XIII.

Hancce illuminationis Spiritus Sancti in Scriptura salutariter intelligenda necessitatem evincunt Exemplum quoquē Sanctorum, prout discipulorum Christi Emaunticorum, Luc. 24:45. qui nihil eorum, quæ ex ore Jesu audiverant, intellexerunt, donec illis διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν, τὸ συνίεναι τὰς γραφάς, aperuit cor eorum, ut intelligerent Scripturas non quali-

cunquē modō , sed cum convictione, ἀποδείξεις & ἐν-
 δυνάμεις, tanquām non vulgares tantū fideles, sed fū-
 turi ejus Testes & Evangelij Christi præcones. v. 48.
 Habemus quoquē Exemplum Lydiæ Act. 16: 14. cui
 Apostolus Evangelium sine fructu annuntiaturus
 fuisset, nisi auctor fructificationis Deus intervenisset,
aperiendo ejus cor, ut attenderet ijs, quæ dicebantur à
Paulo. Exempla sunt quoquē Paulus & fideles ejus
 auditores, 2. Cor. 4: 6. *Deus qui dixit, ut è tenebris lux*
splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris
πρὸς φωτισμὸν, ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in
facie Jesu Christi. Non igitur sufficit ad fidem & sa-
 lutem, ut lux splendeat in oculis tantū externis, vel
 verbi sonus percipiatur auribus, sed necesse est, ut
 splendeat quoquē in cordibus, ad quod Omnipoten-
 tia desideratur illius, qui mundum creavit è nihilo,
 quiquē è tenebris lucem ad nutum voluntatis suæ
 solō imperiō produxit, cui nulla resistere vis potest,
 nedum fluctuans hominis arbitrium. At his Exem-
 plis quot non alia tum ex historia Vet. tum Novi Test.
 addi possent, quæ præsentis angustię non capiunt ?

§. XIV.

Accedunt Piorum pro illuminatione Spiritūs
 Sancti vota & preces, prout illæ Davidis Ps. 119: 18.
 וַיִּתֵּן לִי רֵתֶגֶךָ עֵינָי מֵעַתָּה, oportet igitur eos antea clausos
 fuisse, id est, eum non attendisse vel intellexisse; quo
 in statu quisvis est homo irreginitus; at simul ac oculi
 aperiri incipiunt, protinūs persentiscit fidelis, in
 quā spissis hætenus tenebris oberraverit, unde
 magis magisque suos aperiri oculos anxie petit; ve-
 rum

rùm quem in finem? וְנִבְיָטָה נִפְלְאוֹת מִתּוֹרַתךָ *ut intuear mirabilia ex lege tua*, absquè hac enim illuminatione legis, id est, doctrinæ fidei, mirabilia, id est, ejus præstantia, utilitas, excellentia, necessitas & amplitudo nunquàm vel attenditur, vel sentitur & amatur. Pariter hanc discipulis illuminationem apprecatur Christus Joh. 17: 17. dicens, ἁγιάστον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, *Sanctifica eos in veritate tua, sermo ille tuus veritas est*; ut adeo absquè sanctificatione illa & illuminatione cœlesti veritatem istam percepturi nunquàm fuissent. Similiter Paulus precatur Eph. 1: 17. *Pater ille gloria det nobis Spiritum Sapientia & revelationis*, ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, *per cognitionem ejus* (quæ est cum ἀποδόσει conjuncta, adeoque experimentalis, solis conveniens fidelibus) *illuminatis oculis mentis nostræ, ut cognoscamus, quæ sit spes vocationis nostræ, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in Sanctis.* Verùm de magnificis his Apostoli verbis loquendi uberior mox dabitur occasio.

§. XV.

Sed varia objiciunt Remonstrantes, inter alia, nos ipsos Scripturæ perspicuitatem profiteri, pro eaque adversus Pontificios tanquàm pro aris & focis certare, proindè frustra nos Spiritus Sancti illuminationem ad Scripturæ intelligentiam requirere. At hæc nobis objectio nullatenus officit; etenim ex supra dictis colligere proclive est, ad habendum genuinum sensum grammaticum non opus esse Cathedrâ quadam visibili, vel Judice Controversiarum terrenò, qui in conscientias imperium exerceat, clarum quippe

quippe & obviū esse Scripturæ sensum literalem in rebus ad salutem pertinentibus. At ut habeatur idem in animo sensus νοῦσι & συνέσει, *attentione & spirituali Intelligentiâ*, veritatum amore & fiduciâ, fidei & obedientiæ ad stipulatione, in homine naturâ Atheo & à fœderibus Dei alieno, nova lux requiritur novaquē operatio in mente, qualis est Spiritus Dei omnipotentis, ut testimonium Dei fidele sit מוכימת פתי (*sapientem faciens fatuum* Ps. 19: 8. ut sit נר *lucerna* viam ad salutis metam commonstrans & נאור *lux* Prov. 6: 23. λυχν *lucerna* *splendens in squalido loco* 2. Pet. 1: 19. & sese commendet ad omnem conscientiam hominum coram Deo, 2. Cor. 4: 2. Hinc si obscuram dicimus Scripturam, intelligimus id cum Paulo docente, εἰ ἐστὶ κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον *si velatum est Evangelium*, ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶ κεκαλυμμένον, *velatum est in pereuntibus* 2. Cor. 4: 3. quod ipsum haud ægrè concedit Episcopus in Resp. ad defensionem Cameronis cap. 7. ferè sub finem dicens, *Apostolum isto in loco loqui de infidelibus illis, qui vocati erant à Deo per Evangelium, & qui cū possent, nolebant tamen credere, quod ex eo liquecit, quia expressè additur in textu, id factum, quia Deus hujus sæculi mentes eorum excacabat.* At quæ est Ratio ista? an igitur Satan non potest Gentilium vel ψυχῶν, hominum *animalium*, id est, nihil nisi animam suam habentium, oculos excacare, ut Deum tanquā *Deum Peccatoris* non cognoscerent, nec verum Deum colerent, sed colerent potiùs Satanam, qui ab Apostolo *hujus mundi Deus* appellatur 2. Cor. 4: 4. ad Evangelium verò prædicatum, ad lucem licet splendidissimam, cæcutirent, ut

non

non splenderet ipsis *lux Evangelij gloria Christi* ? sive igitur de infidelibus, sive de incredulis, quos distinguit Episcopus, loquatur Apostolus, res eodem re-
dit.

§. XVI.

Scriptura igitur velata est *τυφλοῖς, πεπωρωμένοις, ἀνοήτοις καὶ ἀσωπίσις, cecis, induratis, insensatis & inconsideratis*, quales esse plurimi solent, sive liber illis Naturæ duntaxat, videnda præbens *invisibilia, æternam Dei potentiam ac divinitatem*, apertus sit, sive liber quoquæ Scripturæ voluntatem Dei clarè illos doceat; de Gentilibus prius, ut ex Rom. 1. abunde constat, postèrius de Galatis planum est, quos Apostolus, tametsi Christum κατ' ὁφθαλμοὺς depictum haberent *ἑσπαρωμένον*, vocat *ἀνοήτους, inconsideratos & insensatos* Gal. 3:1. scil. neuter profectò liber sive Naturæ sive Scripturæ in ullo mortalium producit intelligentiam Deò servatore dignam hominiquè salutarem absquæ *νοήσεις & συνίσεις, attentione & animadversione*; hanc verò *ἐνέστιν*, quæ solius fidei est, vel naturæ opera, vel etiam verbum, licèt motivis & excitabilis instructissimum, absquæ interiore Spiritûs efficacia nunquam proferet; Obest namquæ præjudicium carnis, *Consilium improbi* Ps. 1:1. amor tenebrarum, bonorum adeò apparentium & fallacium desiderium, *κενὸς ὄξια* vanæquæ gloriæ aucupium, concupiscentia prava, verbò, *ὡς ἀδίκια & διεφθαρμέναι*, mens improba & corrupta, quæ homines *ἀνοθεύει* non geniti, mendacio quàm veritati obsequi malunt, locò conversionis in pejus proficientes in dies, tanquàm *πλανῶντες καὶ πλανήματα, seducetes & seducti*.

XVII. Quod

§. XVII.

Quod, prout non diffitemur, minùs in ijs mirum videri possit, in quos terribiles suas minas strinxit Deus *μὴ ἐνέλῃς* nolens, *occultabo*, inquiens, *ab ipsis faciem meam*, Deut. 32: 20. quæ suum omninò complementum in incredula Judæorum Gente natæ sunt, quibus velum impositum in causa est, cur etiamnum Vetus Test. legentes, medullam ejus ac nucleum, Christum scil. non percipiant, 2. Cor. 3: 13 - 15. Sed in legem Justitiæ fidei impingentes, ad legem longè aliam, nullam justificare carnem valentem, prolabantur, atquè hócce suò præjudiciò protervè indurentur. Verùm simile quoquè de cæteris judicium fieri par est, de omni quippe homine *ψυχὴν* Spiritu Christi intùs operante destituto verissimum est, res eum divinas non *νοῦν* vel *οὐσίαν* animadvertere ac *salutariter cognoscere*, quoniam non nisi *πνεύματι*, non absq; Spiritùs auxilio examinantur, expenduntur, discernuntur & ad conscientiam revocantur, quod solum Rationis dictamen absq; externo pariter & interno lumine præstare in æternum non poterit: quamobrem regenerari opus habet homo, ut regnum cælorum ingredi possit, alioquin Christi sermonem tanquàm Lucifuga, veritatis osor, & à rebus *πνευματικαῖς* alienissimus nunquàm percipitur; opus habet, cui cordis præputium abscindatur, Deut. 10: 16. Cujus Auctor nemo nisi Deus solus esse potest, non sanè opera Creationis & Providentiæ, nec sola Legis vel Evangelij promulgatio; hinc Cordis circumcisio opus & bonum fuit promissum

sum, Deut. 30: 6. perficiendum per internum gratiæ
divinæ influxum, infallibiliter effectum producentis;
quicquid hominis Ratio liberumquæ hîc arbitrium
objectet. Fit namquæ circumcisio cordis לִצְחָק ad
dilectionem JEHOVÆ. כָּכָל - לִבְךָ וּבְכָל - נַפְשְׁךָ *ex toto*
corde tuo & ex tota anima tua: unde Deus dicitur
pro corde lapideo dare carneum Ezech. 11: 19. & cap.
36: 26. & cor ad attendendum aperire, Act. 16: 14.
quæ cuncta à Remonstrantibus ad Rationis tribunal
provolantibus & Socinianorum vestigia prementi-
bus adeò torquentur, ut nihil eorum continere vi-
deantur, quæ verba naturâ suâ significare à quoli-
bet extra partes constituto observantur. In solis er-
gò illis, quibus dat Deus *illuminatos mentis oculos*, E-
vangelium ad salutem reiectum est. Hi soli possunt
εἶδέναι τις ἐστὶ ἡ ἐλπίς τῆς κληρονομίας αὐτοῦ, *qua sit spes*
vocationis ejus, quaquæ sint divitiæ gloriæ hereditatis
ejus in Sanctis. & qua sit supereminens magnitudo po-
tentia ejus erga credentes, juxta virtutem roboris poten-
tia ejus, Eph. 1: 18. 19. Ex quo verò fonte sua fide-
les beneficia hauriunt? indicaverat id Paulus ψ. 17.
à Spiritu Sapientia & Revelationis, ἡ ἐπιγνώσις αὐτοῦ, *in*
ejus cognitione non theoretica sed practica ex Phil. 1: 9.
quam in corde excitare nemo potest, nisi Spiritus, qui
intercedit pro nobis στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, *suspirijs ineffa-*
bilibus. Rom. 8: 26. quiquæ adeò in intimis cordis
visceribus operosus est.

§. XVIII.

Ad emphaticum locum istum Paulinum Eph.
1: 18. 19. 20. quid excipiat Limburgius lib. 4: cap. 14.

§. 20. audire operæ pretium est. 1. Loqui, inquit, hîc Apostolum *de operatione, quam Deus exerit, seu exerturus est erga fideles*, quoniam dicit Apostolus *expressè in nobis qui credimus*. 2. Agi de illa hîc potentia Dei, quâ usurus est circâ fideles, quando eos ex mortuis est suscitaturus: Prius quod concernit, quærere quis meritò potest, quandonam Deus ἐνέργειαν τῆς κτίσεως τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, efficaciam roboris virium suarum potentiùs exercuerit & etiamnum exerceat, in homine ex summa potenter miseria eripiendo, an verò in illo ex miseria jam liberato? in homine è mortis faucibus extrahendo & quasi è sepulchro resuscitando, an in eodem vitæ jam reddito? in lathaliter ægrotante, & de salute sua desperante, an verò in eodem nunc restituto, seu pristina valetudini proximo? in cæco demùm illuminando, an verò in homine visum jam consecuto? vel quod eòdem redit, in Creatione ex nihilo, an in Conservatione, quâ res in eodem deinceps statu permanere eadem voluntatis efficacitate jubentur? posterius Limburgius cum suis, nos prius asserimus: Utra nunc sententia sit similior vero, iudicet sanæ rationis compos.

§. XIX.

Haud equidem diffitemur, in jam credentes ex Christi plenitudine χάριν diffundi ἀπὸ χάριτος, gratiam *supra gratiam*, gratiam unam post alteram, vel gratiam gratiæ succedentem, Joh. 1: 16. quâ fideles in dies proficiant & ad tumulum usquè constanter perseverent, quem continuum tamen gratiarum fluxum negant οἱ ἐξ ἐναντίας; nihilo secius admirationem
longè

longè majorem primum Conversionis momentum movet, quò mancipium è durissima servitute ad hæredum filiorumquè hæreditatem, captivus è squalido loco & tenebrarum catenis ad lucem, & mortuus ad vitam revocatur, quòquè Deus ζωοποιεῖ τὰς νεκρὰς καὶ καλεῖ τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. vivificat mortuos, & quæ non sunt vocat tanquam sint, Rom. 4: 17. Vel an hic non est δύναμις, quinimò ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, supereminens magnitudo potentia? an non ἐνεργεία & quidem τῆς κρείττης τῆς ἰσχύος, efficacia roboris virium, qualem, ut immediatè subjungit Apostolus, 8. 20. Deus operatus est in Christo ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, suscitans eum ex mortuis? quibus innuere Paulus indubiè vult, parem erga credentes potentiam per Spiritum vivificantem exercere Deum, qualem in Christo exercuerat è mortuis eum excitando, ut & illi è morte spirituali ad lucem læti transferantur.

§. XX.

At scrupulus, quem ex eo injicit Limburgius, quòd Paulus dicat, εἰς ἡμᾶς τὰς πιστεύοντας, erga nos credentes, nullus est; vel an non id subinnuere nobis Apostolus voluit, exseruisse suam Deum potentiam ergà nos, ut quales nunc sumus, fieremus scil. πιστεύοντες, credentes, quemadmodum eandem exseruit in Christo nunc vivente sedentequè ad Patris dextram, cum è sepulchro potenti eum brachiò excitavit? vel succinctius, producere Deum in nobis fidem eadem prorsus potentiâ, quâ Christum è mortuis suscitavit? alioquin iste foret juxta Doctorem Remonstrantem Divinæ illius δυνάμεως & ἐνεργείας pro-

cessus ; Deus per Evangelij præconium suam hominibus, priusquàm crederent, milericordiam testatam vellet, homines autem ad auditum præconium, naturali suâ docilitate, laudabiliquè liberi arbitrij usu seipsos discernent, ovibus se Christi aggregarent, gratiam sibi oblatam non repudiarent, quanquàm eam repudiandi haberent potestatem, atquè adeò ipsò crederent actu, quibus deinceps Deus Evangelium vel gratiam, quam vocant, sufficientem, potentiamquè credendi non subtraheret. Conscientiam cuiusvis nunc hominis extra partes constituti appello, ubi in processu isto appareat *δύναμις* illa atquè *ἐνέργεια* Divina, vocabulis ab Apostolo tam emphaticis & magnificis, decantata ? ubi *ὑπερβάλλον* illud *μέγεθος καὶ κράτος τῆς ἰσχύος αὐτοῦ*, an manifestatio Evangelij, viribus liberi arbitrij deinceps relinquendi, *superemmens illa magnitudo potentia* est ? annon stupenda illa potentia in eo potius elucet, quòd ad Evangelij tubam è sepulchris prodeant mortui, non viribus arbitrij, quibus liceat illis vel in sepulchro manere vel inde resurgere, sed potentiâ illâ & efficacîâ longè maximâ, invincibili & irresistibili, cui quis non magis ac Lazarus in sepulchro foetens ad Christi mandatum resistere valeat ?

§. XXI.

Sed ne in re adeò manifesta justò prolixior videar, ad posteriorem Limburgij exceptionem devolvor, dicentis, de illa hîc potentia agi, quâ tandem Deus in ultimi judicij die in fideiû Resurrectione usus sit, *quam quidem nunc, dum in hoc vivimus seculo comprehendere*

phi finem his verbis subjungit. *Quodd si hac de potentia, quâ Deus fidem & conversionem in nobis operatur, intelligamus, dicendum, quodd excellens illa potentia, quâ Deus Christum ex mortuis excitavit, & supra omnia exaltavit, eadem sit potentia, quâ fidem in hominibus operetur: & Apostolum, quando optat, ut excellentem illam magnitudinem potentia divina comprehendant, optare ut agnoscant, quantâ potentiâ & vi fides in ipsis producta esset, quodd neutiquâm Apostoli scopo consentaneum est; nihil nisi fallacia est petitionis τὴν ἐν ἀρχῇ; quasi dicere absurdum sit, excellentem illam potentiam, quam Deus in Christo è mortuis resuscitando exse-ruit, aliam omninò non esse, quâm quæ hominibus fidem ingenerat & ex illis credentes facit; cùm id ex indissolubili versuum 19. & 20. nexu, ut modò evictum, indubitato elucescat; Apostoli verò scopo asser-tionem nostram non esse consentaneam, dicit, non probat. Totus contrà Apostolus in eo est, ut εὐδοκίαν, πρέθεσιν, βελὴν τῆς θελήματος, potentiam, gratiam charitatemquè Dei in vocando, regenerando & convertendo homine naturâ mortuo, sine Christo, in mundo atheo, qualis in cap. seq. pluribus describitur, deprædicet, celebret, exaltet, ut homini arbitriò suò utenti & ad potentiam illam divinam indifferenti, nihil relinquatur.*

§. XXIII.

Simili paralogismò cætera Limburgij ratiocinia laborant, quibus Spiritûs Sancti illuminationem in Scriptura salutariter percipienda subvertere aggreditur lib. I. cap. 6. §. 23. quando 1. arguit, irrogenitis & im-

& impijs tribui voluntatis divinæ ad salutem necessaria cognitionem, proinde Spiritûs Sancti illuminationem ad Scripturæ intelligentiam non requiri. 2. In irrogenitis peccata dari contra conscientiam, eos igitur absquë Spiritûs Sancti luce satis esse illuminatos. 3. Peccatum dari in Spiritum Sanctum, ubi tanta est conscientiæ illuminatio, quanta in impios cadere possit, ubi tamen nulla est Spiritûs Sancti interna operatio. Etenim nulla nobis disceptatio est de cognitione theoretica sed practica, de historica nulla sed fiduciali, nulla de Grammatica sed experimental cum *διανοίας* conjuncta: priorem reprobis non denegamus, cum majorem nonnunquam in ijs, quam in electis quibusdam conspiciere liceat; posteriorem solis vendicamus fidelibus, juxta testimonia Spiritûs Sancti ipsius in scriptura loquentis, quæ vidimus suprâ; Peccata igitur contra conscientiam supponunt priorem, non necessariò posteriorem; sed dum priorem supponunt, posteriorem non tollunt; unde ex Spiritûs Sancti operatione interna nullum adversus eundem sequitur peccatum, at illa absente, convictione interim veritatis ex cognitione grammatica & theoretica præsentē, proinde conscientia contranitente, admittitur; unde non sequitur, in irrogenitis non dari efficacem Spiritûs Sancti operationem & illuminationem, quâ salutariter Scripturam intelligant & interpretentur.

§. XXIV.

At eadem hîc chordâ cum suis oberrat Limburgius, quâ in capite de probanda Scripturæ *divinitate*,
ubi

ubi æquè Spiritûs Sancti illuminationem requirimus, ad Scripturam tanquàm divinam sentiendam, exosculandam nobisque applicandam, ac ad illam salutariter interpretandam & intelligendam; quam tamen ad ejus divinitatem adversùs profanos & infideles tanquàm argumentum nullatenus adducimus, ut frustra nobis *circulum* obijciat Limburgius lib. 1. cap. 4. §. ult. dicens; *Si enim quarantur, puta Reformati, unde cognoscant Scripturam esse divinam? respondebunt, ex Testimonio Spiritus S. si urgeantur; unde cognoscant illud testimonium, quod in corde sentiunt, esse instinctum Spiritus S.? respondebunt, ex Scriptura;* Ubi Becanum multis laudibus extollit, in libello de Circulo Calvinistico, in Paræum, qui Pontificijs *circulum* objecerat, similem ingeniosè retorquentem. *At turpe est Doctori, dum culpa redarguit ipsum.* Si enim quærantur Remonstrantes, unde cognoscant Scripturam esse divinam? respondebunt, ex dictamine rectæ Rationis; Si urgeantur, unde cognoscant Rectæ Rationis Dictamen de Scripturæ Divinitate testari posse, vel tale dari dictamen rectæ rationis, respondebunt, ex Scriptura; sicuti in præcedente vidimus Dissertatione, solere Remonstrantes ex locis Scripturæ pro Ratione argumenta conquirere. Sed ex nostratibus, quibus undiquè, dum viveret, cingebatur Limburgius, si voluisset, nullum nos committere *circulum*, id est, argumentationem sophisticam, quâ idem per idem probatur, addiscere potuisset. Probamus quidem Scripturam per Spiritum, tanquàm per causam efficientem, quâ credimus; contra probamus Spiritum ex Scriptura, tanquàm ex objecto & argu-

argumento , propter quod credimus ; si quærat ,
 cujus virtute credamus , Scripturam esse Divinam ,
 eamquæ tanquàm Sermonem Dei accipiamus , omni
 affectu amemus & colamus ? respondemus , id virtu-
 te fieri Spiritûs Sancti , cujus in Lydia exemplum est
 Act. 16: 14. & in Davide Deum rogante , qui *suos sibi*
oculos aperiat , Ps. 119: 18. Sed si quærat , propter
 quid & quibus argumentis , Scripturæ Divinitatem
 credamus ? In promptu responsio est , propter notas
 Spiritûs Sancti Scripturæ impressas & undiquever-
 sum in ea emicantes ; Sic distinguimus inter actum
 credendi & rem creditam ; actus credendi ab ope-
 ratione Spiritûs Sancti , res autem credita ejusquæ
 fides à Scripturæ characteribus , quibus ejus cogno-
 scitur Divinitas , pendet : Nulla igitur hîc vel Circu-
 li umbra est ; Pontificij verò hîc se circulo extri-
 care nequeunt , ex Ecclesia probando Scripturam ,
 Ecclesiam verò ex Scriptura , per idem adeò me-
 dium , idemquæ causæ genus ; ut Ecclesia illis sit ar-
 gumentum credendæ Scripturæ , & rursus Scriptura
 sit argumentum credendæ Ecclesiæ , atquæ eò sic illi
 revolvantur , unde disputandi initium fecerant , pro-
 gressuri in infinitum , in nullo sese primo credibili fi-
 ltere valentes.

§. XXV.

Discutiendæ nunc etiam forent Limburgij ratio-
 nes , quibus nostram de probanda ex Spiritûs Sancti
 Testimonio Scripturæ Divinitate sententiam subruere
 adnititur , ut quando 1. excipit , Spiritum Sanctum

de Scripturæ Divinitate plenius eos instruere , qui jam sunt fideles & de ea convicti ; non verò eos , qui de illa demùm sunt convincendi 2. Spiritum talem dari , prius ex Scriptura probandum esse : denique 3. Spiritum talem esse *privatum*, eiquè tantùm eximium, cui contingit, unde alterum docere nequeat: Sed posteriores duæ rationes modò profligatæ sunt, quando Spiritûs S. Testimonium argumentis annumerandum esse rotundè negavimus: Priorem verò subvertere adhibita distinctione proclive est, inter fidei nim. primordia & incrementa ; dantur Scripturæ loca Limburgio citata, ubi de fidei incrementis agitur, sed obvia quoquè talia sunt, ubi de fidei primordio sermo est ; Spiritus Sanctus fidei auctor est tam in ejus primordio quàm in ejusdem incrementis ; nam veluti Deus non tantùm Conservationis, sed & Creationis, imò juxtà Remonstrantium licèt præposteram sententiam, Creationis magis quàm Conservationis auctor est solitarius, ita fidei opus in omnibus ejus momenti soli Deo vindicandum est. vide Joh. 6:29. 2. Cor. 4:13. Eph. 1:19. & 2:8. Phil. 1:29. & 2:13. &c.

§. XXVI.

At quis nunc usus est hujus Disputationis nostræ? satis sanè ingens ; inde namquè ab una parte docemur nativam intellectûs nostri caliginem, judicij perversitatem, voluntatis pravitatem, affectuum intemperiem ; ab altera verò Spiritûs Sancti necessitatem in nobis docendis, ducendis, flectendis, determinandis. *Prior* nos consideratio ad humilitatem

tem ducit adeò necessariam , ut nemini nisi humili & contrito Deus propitius sit ; *Posterior* anxios nos reddit & sollicitos de dono Spiritûs Sancti consequendo , cujus beneficiò ad Scripturam salutariter intelligendam irradiemur , ad eam amandam flectamur , ejus dulcedinem sentiamus , ejus semitam sequamur , ejus promissiones , quarum centrum Christus est , ad consolationem animarum nostram nobis applicemus. Hæc autem contemplatio est tantò utilior , quòd negatâ hæcce Spiritûs Sancti operatione ex virium propriarum jactantia insolescat homo , & ad Deum lucem suam non refugiat , sicquè in tenebris maneat , ac æternum pereat ; quocircâ consultius nihil est , quàm cum Davide à Deo petere : *doce me facere רצונך beneplacitum tuum, quia tu es Deus meus טובה רוחך Spiritus tuus bonus ducat me in terram planam!* Sed priusquàm hinc discedamus , ad majorem hujus negotij dilucidationem , coronidis locò verissimam Beati Calvinii in Pauli verba , 2. Tim. 2: 25. 26. *Servum Domini , oportet esse cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti ; num aliquando daturus sit eis Deus resipiscientiam ad agnitionem veritatis &c.* eamquè egregiam cõmentationem , quâ mansuetudinis pastoralis necessitatem è Spiritûs Sancti necessaria efficaciquè in hominibus convertendis operatione , citra quam neminis unquàm regeneratio speranda est , prudenter arcessit , subungere lubet. Ita igitur ille , Instit. lib. 3. c. 3. §. 21. *Paulus Timotheum patientem & mansuetum erga incredulos esse jubens , si quando , inquit , Deus illis det pœnitentiam , quâ resipiscant à Diaboli laqueis.* Affirmat quidē

dem Deus, se velle omnium conversionem, & exhortationes communiter omnibus destinat. Efficacia tamen pendet à Spiritu Regenerationis; quia facilius esset eos creare, quàm proprio Marte induere præstantiorem naturam. Itaque toto Regenerationis cursu non abs re vocamur Dei figmentum creati ad bona opera, qua præparavit ut in illis ambulemus. Quoscunque vult erigere Deus ab interitu, hóc Spiritu regenerationis vivificat, non quòd pœnitentia propriè sit salutis causa, sed quia jam visum est, inseparabilem esse à fide & misericordia Dei - - - Stat quidem hoc firmum, ubi cunque viget Dei Timor, Spiritum in salutem hominis operatum esse. Itaque fideles apud Esaiam cap. 63: 17. dum queruntur & deplorant à Deo se derelictos, hoc quasi reprobationis signum ponunt, obdurata fuisse divinitus corda sua.

